

var. B
148 37

DEO DUCE
MEDITATIO S. EPISTOLÆ
DOMINICÆ XII.
POST TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textūs cum opus-
est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M
In Regia Aboënsi Academia,
P R E S I D E,
ÆSCHILLO PETRAE O;
S.S. Theologiæ Doctore & Episcopo Aboënsi,
Examini subiecit in Auditorio Majori horis solitis
Addiem 18. Maij Anni 1656.
ERICUS JOH. BININGIUS
NERICIENSIS.

Lyra in hunc Locum.
Si cogitare bonum non est ex nobis; nec credere

Idem in hunc Locum

Transformamur: transimus de forma in formam: de obscura, in lucidam quia est ipsa obscura imago est in qua homines creati sunt, qui animalibus præsunt, Quæ natura excellens cum à Deo justificatur, à deformi forma, in formosam formam mutatur.

A B O Æ
Impressa à PETRÒ Hanþon/ Acad, Typog.

V I R O

Nobilissimo & Consultissimo

DN. G U S T A V O Grasse/

Domino de Laidikylä & Koskis; Orientalis Bothniæ
Territoriali judici æquissimo,

U T E T

Nobilissimo ac experientissimo V I R O

DN. J A C O B O A. Gyllenstake/

Domino de Kawatula &c; Vectigalium majorum
Aboæ præfecto fidelissimo maximeq; circumspetio.

N E C N O N

Prudentissimis, Spectaculissimis & præstantissimis Viris & Dominis:

DN. E R I C O S w i n g / DN. J A C O B O N I-
militari Logistæ per Legio- COLAI itidem cujusdam le-
nem ordinis pedestris ma- gionis pedestris Logistæ ex-
ximè circumspetio. peditissimo, Nutritio meo
liberalissimo,

DN. P E T R O E R I C I
Obergh / per Feningiam
Vectigalium inferiorum In-
spectori dexterimo.

DN. P E T R O L A U R E N-
TII Öman genero sissimi Do-
mini Gustavi Horii de Ranfas
&c. Rationario fidelissimo,

Dominis Mecanatibus promotoribus & beneficio-
ribus ut certissimis ita calido obsequij Zelo at-
tem prosequendis: Sacrum hoc exercitiū homili-
cum in debitæ subjectionis observantia & gra-
titudinis indiciū litatū dicatumq; cupit & offerit,

Ericus Biningius



MEDITATIO S. EPISTOLÆ DOMINICÆ XII. POST TRINITATIS

IN Sanctæ & sumptuose Laudande Trinitatis, Patris, filii
& Spiritus Sancti nomine,

Iuomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti manu dato tuo: quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua, meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quasi vi. Ab omni via mala prohibuit pedes meos: ut custodiam verba tua. A judicijs tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo? A mandatis tuis intellexi: propterea odi omnem viam iniquitatis. Psal. 119. v. 97. 98. 99. seq. ad 105. Ostendit Psalmista primò in his verbis, quantoperè diligat legem Dei, & quam sapè loquatur de lege divina. 2. Quid emolumenti inde sentiat ac capiat, quod tam crebrò mentionem faciat legis divinæ. Quod Deus per legem suam, per ejus assiduam meditationem, sapientiorem eum faciat suis hostibus. Quod doctor evadat omnibus suis doctoribus & magistris. Quod prudentior evadat senioribus. Quod præcaveat pedi-

bus suis omnes malas vias. Quod per crebram meditationem verbi Dei, non discedat ita leviter à iudicijs & justificationibus Dei. Quod sentiat peculiarem quandam dulcedinem ex assidua verbi Dei meditatione, majorem mellis dulcedine. Quod possitabominari & odio habere omnes falsas vias.

Hinc apparet quanti Rex & Propheta David fecerit verbum Dei, quam studiosus fuerit legis divinæ scrutator. Et quod non sudaverit frustra, in legis divinæ meditatione, perceperit inde non exigua commoda, tanta quidem, ut nunquam Davidem hujus meditatioonis legis divinæ pœnitentiam. Quod v. Davidi præstitum commodum ex verbi Dei meditatione, id etiam alijs eveniet. De hoc etiam in textu explicando agetur.

O Remus a. D E U M ut hanc Epistolam ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinae, & bonorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem. Dicamus igitur: Pater noster &c.

TEXTUS 2, Cor. 3.

FIduciam autem hujusmodi habemus per Christum erga Deum. Non quod idonei sumus, ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis: sed si aliquid idonei sumus, id ex Deo est. Qui & idoneos fecit nos ministros novi Testamenti, non literas, sed Spiritus. Nam litera occidit, Spiritus autem vivificat. Quod si administratio mortis in literis, deformata in sarcis, fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intendere filii Israel in faciem Mosis propter gloriam.

gloriam vultus ejus, quæ aboletur: Cur non potius
administratio Spiritus erit in gloria! Si enim ad-
ministratio condemnationis gloria multò magis ex-
cellit administratio justitiae in gloria.

Ostendit Apostolus suam confidentiam in Chri-
stum, quod ipse cum alijs Christianis pījs sit per gra-
tiam ad aliquid, quod Deo gratum esse potest, ap̄ius &
idoneus. Ideo etiam negat se dignum Apostolatu fuisse
per se ipsum, quia ut alibi docet i. Cor. 15. persecutus
sit Ecclesiam Dei, interim factus Apostolus, & quidem
non ut pr̄dicaret legem sed Evangelium. Quod offi-
cium longe excellentius dicit, quam legis ministerium,
quod etiam habuit quandam claritatem, licet ferè aliud
non pr̄dicaret quam æternam mortem & damnatio-
nem legis. Moses, inquit, Apostolus adferens populo
duas tabulas, faciem adeo habuit splendentem, ut ne-
quiverunt alij Israēl intueri ejus faciem, sed coactus
Moses imponere facili suā tegumentum. Hoc tegu-
mentum dicit Apostolus adhuc adhærere cordib⁹ judæo-
rum, cum legerent Mosen, ut nequeant verū ejus lebsum
assequi, & ea quæ de Christo scripsit, non recte explicentac
interpretentur. Gloriatur v. Apostolus eum omnibus
Christianis, quod verum sensum habeant Scripturæ quia
Christum recipiunt, ad quem tota scriptura quasi ad sco-
pum collimat. Et ita Christiani, quod spiritu Dei ducun-
tur, magis magisq; illuminantur, donec assūmuntur à Chri-
sto in perpetuam & æternam coelestem vñ claritatem.
Confirmatur fides nostra de spiritu S. & ejus donis ac o-
peratione in hominis illuminatione. Excitamus ad
orandum: Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum
tuum; sia t voluntas tua. Libera nos à malo.

P A R T E S.

1, Quomodo Apostolus dignus factus fungi ministerio doctoris Novi Test.

2, De dignitate & excellentia ministerij verbi in N. T. præ Veteris Test. ministerio,

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter, & simpliciter tractare constituimus. Omnipotens & aeternus Deus, pater noster cœlestis dilectissimus nobis omnibus benedicat & utiliter & fructuosè cedere faciat.

P R I M A P A R S

In quâ meditamur.

I. Occasionem Apostoli

Scribendi de sua vocatione & aptitudine ad Apostolatum. Hanc indicat Apostolus his verbis: incipimus nos ipsos commendare ut quidam solent; an Apostolus opus habeat alterius commendatione ad Corinthios, vel Corinthiorum pro Paulo ad alios? Talem commendationem negat Apostolus esse necessariam, quia ipsa Corinthica Ecclesia, tam benè à Paulo plantata & instaurata, in Christo fundata & radicata, ut omnibus constet, de Apostoli diligentia ac fidelitate erga hanc Ecclesiam, ut non opus sit atramento vel charta ad commendandum Apostolum hoc nomine; opus enim laudat artificem. Hinc vult Apostolus inferre, sicut & in initio fecit, non opus esse ut aliquis Apostolo conciliet gratiam aliquam, apud Corinthios, ut ejus meritum in hanc Ecclesiam, æqua lance pensaret, cumq; ob oculos habeant ac in prætio, & facile admittant eum ad informantum se in illis, quæ adhuc requiri possunt; nec opus esse

esse existimat Apostolus , ut expectet Corinthiorum petitionem vel invitationem, ut velit hoc facere , velit adhuc esse eorum doctor, cum æquum sit, ut qui tam bonum opus per Dei gratiam inchoaverit, is etiam teneatur operis hujus curam agere.

L. C. Quod licuit Paulo ita adire Ecclesiam Corinthiacam, & illic concionari, & Christianismum introducere, sine Corinthiorum petitione vel vocatione. Peculiare fuit, & Apostolis solum ferè datum, ut illi nullius, nisi solius Christi vocatione in civitatibus & alibi docerent. Gaudebant Apostoli immediata vocatione divina, Deus est omnium Deus, & quem ille mittit, meritò acceptatur. Misit Christus duos discipulos ad adducendum asinam cum pullo , etiam inscio Domino, qui etiam contentus esse debet, cum audiat Dominum his opus habere, ac confessim eos dimittere. Ita Christus mittit discipulos Septuaginta, mittit duodecim, ut sine vocatione , coram quibus concionaturi essent, verba facerent, dicens eos etiam habituros sustentationem ab eis, quos informant. Sed alia ratio est jam in nostris Ecclesijs, nemo se intrudet ad docendum in aliqua Ecclesia, nisi superiorum & Ecclesiaz consensu. Ideoq; nemō sincerus doct̄or ita currit non vocatus, sed expectat legitimam vocationem, accipit literas commendatiōes, vel à magistratu vel à consistorijs ad aliquam Ecclesiam indigam pastoris vel alicujus verbi Dei ministri; vel Ecclesia commendat aliquam personam consistorio & Magistratui, & illam propter dona sibi placentem petit. Hæc est ordinaria via, qua ministri verbi hodièmittuntur. Ethæc missio mediata, etiam est à Deo. De ministris enim legitimè vocatis & missis dici potest: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos, qui vos audit, me audit.

audit. De illis quoq; potest dici, qui sine vocatione ob-
trudunt se Ecclesijs: currebant, & non mittebam eos;
Qui prædicabunt nisi jussi fuerint. Rom. 10. Quilibet i-
tq; verbi Dei minister, volens fieri, ut mittatur legitimè,
ne ante vocationem currat; modestè se offerre ad mu-
nus hoc sacerdotale, vitio non vertitur; Siquidem A.,
postolus hoc non improbat, imò ut bonum opus com-
mendat, Si quis, inquit, desiderat Episcopatum, bonum
opus desiderat. Ecclesia opus habens doctore confu-
giat ad Deum precibus, ut mittat pium, fidelem, & sin-
cerum doctorem & cum quo pacificè illi vivere queant.
Orate, inquit Christus, patrem ut extrudat fideles opera-
rios in messem suam. Ecclesia bene faciat illis, quos
habet doctores, ita fiet, ut dum vicissim indigent, optatos
inveniant Pastores.

L. C. 2. Ecclesia bene constituta longè lateq; in-
clarescit, sicut liber aliquis, jucunditate lectorem affici-
ens, longè lateq; propagatur. Quare omni modo & me-
dio conandum Magistratui Politico & Ecclesiistarum præ-
sulibus, ut cultus divinus rectè peragatur, juxta Dei ver-
bum, omnes ceremoniæ sint piæ sine superstitione & pra-
vis opinionibus, ut omnia fiant suo tempore, ut opulen-
ter habitat sermo Dei inter homines, ut consentienter
homines vivant verbo Dei, ne laxent cupiditatibus car-
nalibus fræna, ut pareant rectè monentibus. Loth
prædicavit Sodomitis contra vesanam libidinem, su-
perbiā &c. Sed nihil profecit, Ecclesia, pessimè au-
divit, ascendit clamor ad cœlum ex illius impietate:
Tandem Deus ipse descendens punit & delet incolas hor-
ribili & atroci poena, impuros illos pluvia sulphurea ar-
det; Lothum inde antea deducentibus angelis. Prioris
mundi Ecclesiæ decursu temporis horribilis & fœda facies
exitit

extitit, præsertim tempore Noachi; conqueritur enim Deus, quod omnis caro corruperit viam suam, & integritus omnis carnis venisse coram Domino, cumque se non emendaret, juxta Noachi prædicationem centum viginti annorum spatio. DEns per diluvium universale, totum genus humanum excepto Noacho & filiis ac nubibus, extinxit. Conemur itaq; omnes in Ecclesia viventes, ut nostra Ecclesia bonum habeat nomen à viciniis nostris, ut multi pij lætentur, & ipsi nostro exemplo ad pietatem flectentur, ut in omnibus glorificetur DEus. Luceat lux vestra coram hominibus, inquit Christus, ut videant vestra bona opera, & glorificetur pater vester cœlestis. Math. 5. Simus mites, misericordes, amantes justitiam, pacis, castitatis, simus patientes malum bono. Tollamus jugum Christi super nos, discamus à Christo quod mitis est corde, jugum ejus dulce & onus lewe. Matth. 11.

II. Apostoli persuationem

de sua dignitate & aptitudine ad Apostolatum. Persuationem talem, inquit Apostolus, habemus coram DEo, non quod simus apti ex nobis ipsis tanquam ex nobis ad hoc officium. Hoc enim officium intelligit, ut ex præcedentibus & sequentibus in hoc capite patet. Cœpit enim dissere, an necessarium foret, ut jam scribens ad eos, de novo apud eos se insinuaret, per aliquius commendationem, vel ut ipsi illum adhuc literis suis vel nuncijs instigarent & invitarent. Hoc cum negaret necessarium ob rationem allatam, quod Ecclesia ipsa testabatur in felic & florenti suo statu constituta, Paulum ita de Ecclesia meritum, ut liberè quando vellet, illam cum ore tum literis absens alloqueretur; jam hic addit, quod

etiam non sit hoc meritus ut liberè loquatur Corinthijs,
sed etiam quòd conscientius sit alicujus, ad hoc faciendum
aptitudinis, sufficientiæ nec non dignitatis tantæ, ut præ-
sumat eos admonere de necessarijs, & in memoriam re-
vocare, quæ eis exciderunt.

L. C. Nemo se indignum officio existimet, qui
legittimè ad illud capessendum missus. Quem enim mit-
tit Deus, hunc idoneum facit & aptum; fiunt & alij post
vocationem legitimam; qualis factus Paulus post suam
vocationem, & alij ut experientia docet hodieq; Quàm
inepti quidam coram iniquis judicibus videantur ad hoc
vel illud munus, sed successus in officio optatus, ostendit
personam illam satis aptam & idoneam. Observant
hoc in ordine & officio Ecclesiastico. Alij sine dubio
id verum deprehendunt in statu quoq; militari. Samuel
uncturus aliquem ex filijs Isai in Regem, in locum Sau-
lis fratura aliquem Davidis, ob corporis proceritatem
& aspectum decorum, in Regem coronandum statuit
vel ungendum. Sed Deus respondit: non placet mihi,
hunc non elegi; David v. parvus & admodum juvenis
pastorem agens ovium, in Regem ungitur. Quem ita
videmus legitima via exaltari ad honestum locum & of-
ficium, non dubitemus eum aptum & dignum esse. Et
qui ita vocatur & mittitur, non dubitet se dignum & a-
ptum; Itaq; eat in nomine Domini, fideliter faciat, DEus
cum eo est,

III. Aptitudinis & sufficien-
tiæ ad munus Apostolicum ex proprijs qualitati-
bus derogationem. Non sumus ex nobis ipsis digni,
Sed dignitas & sufficientia nostra ex DEo est. Egregia
confessio dans gloriam Deo, non tribuens sibi ea quæ supra
vires

vires erant, non sibi dans gloriam sed nominis divinitatis
ut canitur Psal. 115. Negat Apostolus se hic dignum
satis ex ad Apostolatum, ad munus docendi & praedica-
candi Evangelium de Christo, ut S. Johannes Baptista
negavit se dignum, qui Christum baptizaret, se etiam
indignum dicens, qui solveret corrigiam calceamenti
Christi; Quā uterque confessione, suam non simulatam
prodiderunt humilitatem.

L. C. Admonet hic exemplo suo Apostolus, illius
Jerem. 9. Non glorietur Sapiens in sua sapientia, non
dives in divitijs suis &c sed in Domino gloriatur. Hec
etiam Psal. 127. exemplis illustratur: frustra ædificant ar-
chitecti, nisi Deus ædificat, frustra vigiles præficiuntur
nisi Deus eicitatem custodiat; Vir & Uxor Parentes non
sunt, nisi Deus det, & faciat divina benedictio; patet
ex Deut. 28. v. 1. ad 14. Psal. 18. v. 33. 34. 35. 36. 37. v. 40. 41.

SECUNDA PARS

Fuit pars prima de modo quo Apostolus ad hoc suum
Apostolicum officium venerit legittime vocatus,
in hac altera parte comparationem quandam in-
ter ministerium Veteris & novi Testamenti.

In quā meditamur.

I. Prærogativam ministro-
rum verbi N.T. præ ministris V.T. Deus, inquit,
nos, me & relinquos doctores N. T. vocavit ad
sublimis officium præcandi, quam V. T. mini-
stros, hoc est, ad docendum Evangelium, illu-
stri & clara via ac modo, non per umbras, hosti-
as & Sacrificia, sed per plena & perspicua verba

& demonstrationes, quod omnia jam impleta,
quaꝝ prædicta erant aliquando obscurius. Vo-
cat ministerium N. T. Spiritus, & ministerium
V. T. literæ; inquit, occidit, Spiritus n. vivificat.
Quamvis litera vel lex, Decalogus vñ. scripta in
tabulis lapideis, per se non occiderat, tamen
consequenter & ideo quia damnavit ad æter-
nam mortem, qui satisfacere legi non potue-
runt. Maledictus clamant lex qui non perman-
serit in omnibus. Ea itaq; ratione lex occidit
æq; in N. T. quam in V. T. Evangelium v. quod
hic vocatur spiritus vivificat, promittendo Dei
misericordiam videlicet in Christum credenti-
bus Spiritus etiam confert fidem per Evange-
lij prædicationem.

L. C. Et si in V. T. etiam Evangelium
prædicabatur, tamen non ita clare & prospic-
cuè, & cum tanta luce ac savitate prædicabatur
sicut Christi auditores dicebant, etiam inimici
ejus, quod neminem audiverunt ita prædicasse
Et Christus dicit pauperes Evangelizanter hoc
est, abundè audiunt Evangelium, non remit-
tuntur non ad Cathedram Mosis, Sed rem i-
psam quasi manibus palpant & gestu percipi-
unt naturam Evangelij ejusq; savitatem. Ideo-
què de discipulis suis dixit Christus: beati oculi
qui

qui vident, quæ vos videtis & aures quæ audiunt, quæ vos auditis &c Luc. 10. Consideremus itaq; nostram felicitatem, agamus Deo gratiam concedat, ut in agnita & perfecta luce Evangelij, ac vera religione undequaq; consistere valeamus, ut dum lucem habemus, in luce ambulemus, ut filij lucis simus in hoc mundo, & in æternis tabernaculis æterna fruamur luce.

II. Alteram prærogativam ministerij N.T. Hæc consistit in eo, quod nulla amplius rituum & Sacramentorum mutatio futura, sicut in V. T. fuerunt variæ ceremoniæ, quæ jam abrogatæ, & quæ jam sunt in Novo durabunt & vigebunt ad finem mundi. Est hæc novissima hora, in qua omnia ad extremum permanebunt Ecclesiæ dogmata super Christum Jesum fundata. Erat veteris Test. ministerium in magna existimatione, habuit tabernaculum, arcam foederis, tabulas lapideas à Deo conscriptas. Viderunt Israelitæ Moysis faciem sylendentem, ita ut Israelitæ nequierint illam intueri: Sed omnia illa cesserunt, & nuspiciam inveniuntur, nisi quod de illis in historijs legimus. At Christus cum suo Evangelio manent in æternum, regni ejus non erit finis.

L. C. Felicisatem nostram etiam in hoc agnoscendam & de predicandum, scimus quod non scimus novis statutis & dogmatibus obruendi, Sed manet eadem doctrina, eidem fundatum sine mutatione. Stat ut mons Zione, venit nobis quod Jerusoli. mitanis promittitur. Psal. 147. per totum.

III. Tertiam prærogativam
ministerij N. T. præ V. T. ministerio. Habuit Verus Test: suam doctrinam obscuriori docendi genere propositam, quasi per ænigmata, non illa claritate & savitatem ut N. T. sicut antea etiam dictum. Habebant omnia quasi omnia tegumentum quoddam sicut etiam res sacræ omnes diligentissimè tegendæ erant. Prophetæ de Christo erant obscuriores, jam vero in N. T. omnia patent, omnia obvia sunt, parata ad cœleste convivium. Matth. 22.

L. C. Hoc beneficium itidem magna veneratione meditemur & D E O gratias agamus, id quod fecit etiam Apostolus v. 21. seq. ad finem capitis.

Clementissimè Deus Pater Cœlestis? Omnia à te habemus, sine te nihil possumus, nec cogitare quidem

quidem quot bonum est tibi gratum... Praesta quæsumus gratiam Spiritus S. ut qui hic intuemur gloriam tuam tanquam in Speculo, tandem clarificemur copiose & illa caritate incernabilem cœlestis patriæ hilaritatem persentiscentes.

Benedictio & claritas, & sapientia & gratiarum actio, & honor & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum. Amen. Apocal. 7: 12.

QUÆSTIONES.

I.

Contra quos profertur hæc elegans sententia, si ad aliquid sine usus, id ex Deo est? R.

Profertur hæc Elegans sententia adversus eos qui justificationem & meritoria opera, vel quæcunq; bona opera, humanis tribuunt viribus: qui in hunc finem defendit liberum arbitrium & meritum gratiæ præferrunt. Cette ipsos satis constat decipere, qui sibi rectam voluntatem arrogant, quum ne benè cogitare quidem illis relinquæ Paulus. Convenit hæc sententia cum illa Christi, sine me nihil potestis facere Joh. 15. v. 5. item Paulus alibi dicit, operatur in nobis vel & perficere pro bona voluntate Phil. 2, v. 13.

II.

II.

An Deus sub V. T. info-
nuerit tantum externas voces
& non per Spiritum intus in
cordibus locubus per Spiri-
tum ? Resp.

Paulum conciderare quid fuerit proprium
legis. Nam quamvis Deus tunc per spiritum
operator, illud eamen non vult ex ministerio Mo-
sis, sed **ex** Christi gratia. Quemadmodum
habetur in Evangelio, Lex per Mosen data est,
gratia & veritas per JESUM Christum facta est,
Joh. i. v. 17. Certe gratia Dei toto illo tempo-
re otioso non fuit, sed sufficit quod non fuerit,
proprium legis beneficium. Moses enim parti-
bus suis defunctus erat, eum vita doctrina nam
tradidisset additis minis & promissionibus. Hæc
ratione legem vocat litteram quia per se
mortualit ptædicatio. Evangelium ve-
rum Spiritum. quia vivax sit imo
vivificū ejus ministerium.

